



**Illustrissimi Marchionis Scipionis Maffei Historia
Theologica Dogmatum Et Opinionum De Divina Gratia,
Libero Arbitrio Et Prædestinatione**

Maffei, Scipione

Francofurti ad Mœnum & Moguntiae, 1756

Liber XI. Quo demonstratur, doctrinam anteriorum Patrum, quoad rem ipsam nihil discrepare ab Augustinianâ, in dogmate.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95061](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95061)

modo, & ineffabili operari. At quis deum ex Patribus majori energiâ electionis potestatem tutatus fuit, quàm Augustinus? quis acrius propugnavit, non dari peccatum finē illius evitandi facultate; necessariam nemini gratiam negari, mortem obiiſſe redemptorem pro omnibus, & ita porro cetera dogmata propositionibus damnatis ex toto oppositas? Non ex hoc loco sub censum vocabimus, nè repetere neceſſum sit ea, quæ sæpe jam diximus, aut suò ſumus locò dicturi.

RECOLERE ſolùm fas ſit, quæ ſub ſeptimi libri finem demonſtravimus, non poſſe nimirum certiffimè ſe Auguſtini diſcipulum profiteri, qui non pro juridi- cè & decretoriè abolitis opinionibus habet illas, quas S. Sedes tantà cum ſolen- nitate, & poſt tot præmiſſa examina rejecit. Celebre eſt id, quod ſcripſit, quando in cauſâ Pelagianâ quidam poſt latam Romæ ſententiam adhuc volebat tricari.¹ Jam de eâ cauſâ duo Concilia miſſa ſunt ad ſedem Apoſtolicam; inde etiam reſcripta venerunt, cauſa finita eſt, utinam & aliquando error

finiatur! Tandem igitur aliquando ac- quiſcat, qui inter Auguſtinianos ſuum profiteri nomen volet. Comparatè ad S. Petrum etiam D. Paulum *poſtiorē paſto- rem*² vocavit Auguſtinus. Supremam ju- dicandi potestatem in ſummo Pontifice reſidere ſæpe commemoravit. Quando Episcopuſ Fuſſalæ ſibi ſubordinatus, atque ob gravia delicta punitus ad Romanum tribunal provocaverat, dum Celeſtino Papæ rem ut geſta erat exponebat, re- cenſuit *exempla ipſâ ſede Apoſtolicâ judican- te, vel aliorum judicata firmante exiſtentia*.³ In materiâ fidei docuit, *ex D. Petri ore auferendum nunquam eſſe verbum veritatis*. Non eſt itaque ipſius diſcipulus, neque ipſius credit doctrinis, qui jam contendit *ablatum ex ore Petri eſſe verbum veritatis*. Reſcripta venerunt Româ, qui Auguſtinum ſequitur, fateri etiam debet cum ipſo: *cauſam finitam eſſe*; neque licere citra de- fectionem à grege fidelium, huic obſtata- ri. Quid adhuc quæris examen, quod apud Apoſtolicam ſedem factum eſt?

(1) Serm. 131. n. 10. (2) in Galat. 1, 15. (3) epiſt. 209. n. 8. (4) in Pf. CXVIII. Serm. 13. n. 3.

FINIS LIBRI DECIMI.

HISTORIÆ THEOLOGICÆ

LIBER XI.

Quo demonſtratur, doctrinam anteriorum Patrum quoad rem ipſam nihil diſcrepare ab Auguſtinianâ, in dogmate.

Parum abeſſet Historia noſtra à fine ſti- ſæculi, ſi neceſſum non foret eorum, quæ ibidem retulimus, veritatem compro- bare. Quisquis librum quartum, quin- tum, & ſextum ordine perpetuò legerit, atque idiomatis prioribus quatuor Eccleſiæ ſæculis uſitati ſimilitudinem obſervaverit, facilè fortaliſis viſa Auguſtinianorum dog- matum relatione, judicaverit offerre ſe hic diſcrimen alicujus momenti; atque uno qui- dem loquendi genere principium nobis; alio verò tribui Deo. Eaque re fieri, ut mutato dogmate alterutra Patrum pars in- ſimularetur erroris. Quod cum nec de antiquâ, nec de Auguſtinianâ credi poſſit traditione, in mentem venire poſſet ſuſpi- cari aut ipſius, aut aliorum ſententias non ſincerè à nobis fuiſſe exhibitas. Verum enimverò id non conjeſtabit, qui nos non noſtris unquam, ſed ſemper ipſiſſimis ſcriptorum, Patrumque latinorum æquè,

ac latinorum verbis locutos fuiſſe cogita- rit. Nihilominus ad ſolvendum omne dubium, demonſtrandumque ſimul per- petuum Eccleſiæ in dogmate conſenſum, detecturi jam ſumus amphibologias, quæ ex SS. PP. lectione ſuboriri facilè poſſunt, & unde oppoſitionis hujus apparentia enaſci ſoleat. Quæ hætenus datâ occa- ſione variis in locis hæc ſuper re innuimus, non ſufficiunt in re tam gravi, tantique ponderis.

2. ILLUSUM hæc re non noſtræ modo ætati; ſed priſcè etiam interdum ævò fuit. Unde de Semipelagianis agebat S. Proſper.¹ *Obſtinationem ſuam vetuſtate defendunt, & ea, quæ de epiſtola Apoſtoli Pauli Romanis ſcribentis ad manifeſtationem Divinæ gratiæ prævenientis electorum merita proferuntur, à nullo unquam Eccleſiaſticorum ita eſſe intelle- cta, ut nunc ſentiuntur affirmant*. Subſecti- tis proximè temporibus eorum, qui ex-

(1) Proſp. epiſt. int. Augg. 225. n. 7.

Augustinus
traditionis
tenacissimus.

rolli à se Augustinum jactitabant, complures dicere veriti non sunt, recessisse ipsum hæc in re ab antiquis, primumque fuisse, qui sanam nobis, bonamque traderet de gratia doctrinam, non considerantes quam sint in Patrem illum injurii, qui cum antiquis semper sensit, earumque se opinionum professus est tenacissimum. Iræneum, cum citavit, antiquum¹ illum vocavit hominem Dei. Scripsit, Innocentium Papam ad quæsitæ Conciliorum non potuisse respondere,² nisi quod antiquitus Apostolica sedes, & Romana docet. In unâ eademque paginâ ter vel quater summis laudibus extulit fidem, & doctrinam³ Ecclesiasticam antiquitus traditam... & fundatam. Non reputarunt secum novatores, repudiandam citrà dubium esse doctrinam Augustini, si in dogmate, & rei summâ à traditione præcedente reperiretur discrepare. Parum itidem adverterunt ad sanctitatem, necessitatēque traditionis omnes ii, qui hujus passim erroris græcos Patres insinularunt. Immo non adverterunt, celebrandum potiùs hoc pacto fuisse Semipelagianismum; quam diffamandos Patres. Scitent nihilominus hujusmodi accusationibus eorum libri, quibus modò unus, modò alter ex venerandis hisce Magistris liberè traducitur. Quâ re obscurantur illustriora Ecclesiæ lumina, corrumpuntur limpidiores traditionis Catholice canales, amitteremurque primos annulos catenæ: siquidem post Apostolos Autores nostri per plura sæcula fuerunt PP. Græci; dicique jure potest, non nisi in Græcorum voluminibus pervolutandis per plura sæcula operam suam posuisse Latinos.

3. QUAM falsum sit, græcos, aliōsque Veteres fuisse circa hoc in opinione erroneâ, atque ab Augustino dis corde, securè inprimis ex ipsò discimus Augustino; qui semper professus est, se⁴ Episcopos sequi Catholicos; modumque, quo sacra illi intellexerunt colloquia, etiam ante Pelagianorum deliria; falsus item, se rectam, & antiquitus fundatam Catholicam fidem adversus recentem Pelagianorum hæreticorum præsumptionem, perniciosè defendere. Declaravit verbis disertis: eorum profanas vocum novitates Ecclesiam Christi & Occidentalem, & Orientalem horruisse; igitur Græcos perinde; ac Latinos. Scripsit ad Adrumetinos Monachos,⁵ Hæresin Pelagianam (quâ Semipelagiana comprehenditur,) non antiquam fuisse, sed ante non multum tempus exortam. Scribens contra Julianum: Nunc, inquit,⁶ sentiis Episcoporum, qui fuerunt ante nos, urgere te institui; atque ita id præstat, ut totum hunc librum in authorita-

tibus & testimoniis consumat. Afferit sub illius finem, aut tot sententiis sanandum ipsum fore, aut nihil amplius de ipso sperari posse, si non vereatur⁷ tot sanctos Doctores egregios, atque memorabiles Catholicæ veritatis accusare; Irenæum, Cyprianum; Rheticium, Olympium, Hilarium, Gregorium, Basilium, Ambrosium, Joannem, Innocentium, Hieronymum; ceterosque socios, ac participes eorum, insuper & universam Christi Ecclesiam. Gregorius, quem hic nominat, est Nazianzenus, relatus etiam ad ipso in lib. de perseverantia & aliis. Joannes est Chrysostomus, ex quo quindecim facillè testimonia unò, eodemque in locò profert. Vide igitur, tamenli opportunitatem non habuerit, quantum in latinis, tantum & in græcis studium ponendi, viderat saltem illos, venerabatur illos, & gloriabatur, se fidem eorum adversus Julianum defendere. Non potuisset profectò ita loqui, si à suâ fuissent alieni sententiâ, consentientes Semipelagianis.

4. IN Synodo Palæstinæ damnatæ unanimi calculo fuerunt Pelagianæ, & Semipelagianæ opiniones; præventi itaque his non erant Orientales Episcopi. Celestinus Papa scribens ad Episcopos Galliæ in favorem Augustinianæ doctrinæ; adversus Pelagianos, & Semipelagianos. Desinat,⁸ inquit, incessare novitas vetustatem; & postea: Non est agentium causa solorum, cum universalis Ecclesia quâcunque novitate pulsatur. Synodus Araucana aliud se non egisse professæ est, quàm pauca recensere capitula ab Apostolicâ Sede transmissa, quæ ab antiquis Patribus de Sanctorum Scripturarum voluminibus in hæc præcipuè causâ allata sunt.⁹ Papa Gelatius, qui unâ cum Romana sua Synodo libros Cassiani & Fausti rejecit, eodem tempore probavit libros Divi Joannis Chrysostomi, aliorumque Græcorum. Non igitur ejusdem illi & isti opinionis erant; sed multum diversæ atque oppositæ. In postremis Græcos inter & Latinos dissensionibus, in Actis item de restituenda in capitibus inter utrosque controversiis concordia, id nunquam in medium allatum est; ex quo efficitur, quòd, licet Græci eodem semper modò loqui perrexerint; semperque retinuerint doctrinas, maxime S. Joannis Chrysostomi, creditum tamen non fuerit aliud hic intervenisse discrimen, quàm quod dignum consideratione non esset, ac in solis prope verbis consisteret.

II. ATQUE ut ad rem ipsam veniamus, illusio hæc inde orta est, quòd in Græcis iteratò legebatur; penes nos esse primum velle; principium duci debere à nobis;

Vindictam
tur PP.
græci à
suspitione
Semipela-
gianismi.

Suspicionis
huius occa-
sio.

(1) cont. Jul. l. 1. n. 5. (2) n. 13. (3) Op. imp. l. 1. n. 52. & 59. (4) ad Bonif. l. 4. n. 20. (5) de Gr. & lib. Arb. n. 6. (6) con. Jul. l. 2. n. 19. (7) ibid. n. 37. (8) Celest. epist. 21. n. 1. (9) in Præf.

nostrum esse, incipere, Dei autem efficere, atque ad finem perducere; Divinum auxilium volendo, & currendo acquiri; requiri primò à gratiâ nostra opera, expectari à Deo voluntatem, & alia hujusmodi. Profectò negari non potest, si solæ hæ propositiones apud PP. græcos legentur, neque aliunde de ipsorum nobis mente constaret, non certum ferre iudicium, immo dubitare, atque sinistri quidquam de illorum opinionibus suspirari jure liceret. Verùm quod his comprimis animo semper infigi oportet illud, est, quod in præsentē argumento magis, quàm reliquis non tam verba Catholicum, aut hæreticum efficiant, quàm sensus, quem fortiuntur à proferente, & de quo aliunde nobis constat. Vidimus, quot propositiones etiam orthodoxis communes in Pelagianorum errore evaserint hæreticæ. Ità & argumentari licet de compluribus aliis, quæ perperam ab ipsis usurpatæ, in SS. Patrum ore Catholicæ ac probæ erant, quia alio eas sensu accipiebant. Afferebant e. c. Pelagiani ¹ *gratiam adjuvare uniuscujusque bonum propositum*, hoc est, cujusque voluntatem. Decidit Augustinus propositionem hanc in se malam non esse, sed in ipsorum duntaxat ore; & hoc sine scrupulo accipi potuisse Catholicè dictum, si, quod tamen facere recusabant, confiterentur etiam ipsum bonum propositum, quod consequens adjuvat gratia, non esse potuisse in homine, si non præcederet gratia. Paulò post de alia quâdam Pelagianorum propositione ita pronunciat: *posset bene intelligi, si non ab istis, quorum sensus notus est, diceretur*. En documentum, quod esse tibi possit communis instar clavis, ad capiendam censurarum quarundam rationem, quando damnari interdum videmus propositiones, quæ in aliorum ore Catholicæ esse possent & sanctæ.

2. COEPIT jamtum S. Ignatius Martyr dicere: *volentibus nobis bene agere, promptum esse Deum ad opem conferendam*.² Verùm per hoc non intelligebat, posse nos id velle, sine præcedente gratiâ. Liberè dicebant Græci, duci debere initium à nobis, sed intelligebant primam ad bonum determinationem, quam facit voluntas. Fas sit recolere hic ea, quæ jamtum alibi diximus. Intelligebant principium; at non primum: intelligebant primum in homine, sed factum & ab homine, & à Deo, non quòd ante à solo Deo factum est in homine. Commune hoc erat rum temporis Christianis omnibus tam Græcis, quam Latinis idioma, atque in

populare proverbium, receptamque sententiam abieret. Id, quod apparet, ubi profert Augustinus locum quendam Ambrosii, ut ostenderet, S. huic Episcopum contrarium pronunciando, hunc loquendi modum studiò emendasse.³ *Vides, quemadmodum S. Ambrosius etiam illud, quod solent homines dicere: Nos incipimus, & Deus perficit, his verbis abstulit*. Erat itaque hic quasi postularis hominum sermo, extra considerationem dogmaticam, & quantum determinatio nostra, actionum humanarum est principium; quin adverteretur ad sensum occultum; necessarium quippe esse, ut quando de conversione ad Deum agitur, ipse Deus præcedat. Quod si hæ voces philosophicè expensæ fuissent, ipsi harum Scriptores alium eas in scopum flexissent, declarantes ipsas illà S. Justini doctrinà. In Tract. cont. Aristot. *Principium habens principium, non est principium*. Accidit etiam nobis identidem, ut prima appellemus ea, quæ id quidem sunt in certo genere, non autem absolute. Dicebant itidem Græci nostrum esse, desiderare, eligere, incipere: Dei autem exequi, dare effectui, perficere. Idque ideo, quia ad hoc requiritur gratia fortior, & vehementior; gratia enim cooperans sensilis magis est, & manifesta, quàm excitans; ⁴ *cum perficere, quàm inchoare sit majus*. Quia item sciebant ad bonum opus, & Dei & hominis requiri operam, indicare volebant potissimam partem, id est perficere Dei esse; hominis autem, quod minus est, puta desiderare, & incipere. Non tamen ideo prævenientem illam gratiam unquam negarunt, quæ etiam ad desiderandum, eligendum, & inchoandum requiritur.

3. Hinc quoque est, quod cum gratiæ nomen variè accipiat, modò pro primâ, modò pro secundâ; sæpenumero, uti & aliis in rebus usu venit, cum de majore sermo est, huic tribuatur denominatio, & effectus; non habitâ interim alterius ratione. Et quemadmodum Veteres gratiæ nomine, intelligere passim solebant non initialem, & communem; (quæ occultum quasi, atque imperfectum principium est, & sine merito confertur;) sed ulteriorem, auctiorem, luculentiorē, salutique nostræ viciniorem, ad quam opera & conatus noster quid confert; ita quandoque dicebant, gratiam obtineri per meritum, nec nisi dignis concedi. Docuit etiam Augustinus: ⁵ *Fieri inchoationes quasdam fidei, conceptionibus similes; non tamen solam concipi, sed etiam nasci opus esse, ut ad vitam perveniantur æternam*. Majorem tamen se-

(1) ad Bonif. l. 4. n. 13. (2) S. Ign. ad Smyrn. *ἡλικον αὐτῶν ἰσχυρῶς θεὸς ὑποσχεῖται εἰς τὴν παύσιν*. (3) de gr. Chr. n. 48. (4) S. Justin. Aristot. dogm. cr. n. 16. *ὃ ἀρχὴ ἀρχῆς ἔχοντα καὶ ἴσιν ἀρχῆς*. (5) de don. perf. n. 94. (6) ad simpl. l. 1. qu. 2. n. 3.

cundæ gratiæ cooperantis vim indigitatus scripsit: ¹ *Et illud sine difficultate vult; quamvis non tam facile faciat, quam facile vult.*

4. Aliud quid insuper hoc loco considerabimus. Antequam circa dogmata nascerentur hæreses, non loquebantur homines eâ cautelâ, eâ advertentiâ, iisque verborum limitationibus, quæ postmodum fuerunt adhibitæ. Controversiæ nimirum effecerunt, ut constituerentur, ac definirerentur voces, certaque cautione modi loquendi circumferberentur. ² Non habuere occasionem antiqui, *priusquam ista hæresis oriretur*, rem hanc ex instituto tractandi; ideoque plurimi de gratiâ non sunt locuti, nisi breviter, & transeunter. Dandum etiam aliquid linguarum, atque idiomatum diversitati. Novimus quantæ exortæ fuerint tempestates ex græcâ voce *ὑποστάσις* qualisitem differentia in exprimendo, per diversimodè usurpatas voces *causa*, & *principium*. Præter ista etiam in diversis doctrinæ Catholicæ capitibus, vocabula & phrasæ communiter primum usurpatæ, repudiatae deinde fuerunt, quia erant qui iisdem in sensum erroneum abuterentur. Quare post Pelagianos, & Semipelagianos, quidictis propositionibus præpostere utebantur exclusa ab electione nostrâ, & nostro principio omni præveniente gratiâ, omnes suspicionem moverunt; veruitque Arausica Synodus nè in posterum quis diceret: ³ *Sine gratiâ Dei credentibus, volentibus, desiderantibus, querentibus... nobis misericordiam conferri divinitus.* Hoc est, damnatus fuit, qui doceret posse nos credere, velle, querere sine ope Divinæ gratiæ. Nihil itaque laudis merentur non solum multi illi Scriptores, qui Semipelagianismum affricare Græcis Patribus conati sunt; sed nè illi quidem qui huiusmodi propositiones aut dissimularunt, aut obvolvère & propemodum occultare studuerunt. Non ea est indoles Spiritûs Ecclesiæ. Utilitas ejus & gloria sita est in elucidatione sensûs; non in verborum quæ bonæ perinde ac malæ notio- nis capaces sunt, occultatione.

III. Ut tamen certi reddamur de genuino ipsorum sensu, non oportet in testimonio uno vel altero à reliquo contextu avulso conquirere, sed totam Operum structuram pervadere; atque omnia eorum effata universè observare. Non loquuntur profectò ipsi tam frequenter de gratiâ, neque ita minutè dotes ejus peculiare declarant, quòd rei hujus occasionem non habebant. S. Augustinus qui contra homi-

nes adversus gratiam hæresin molientes stylum strinxit; felicissimè ut plurimum hæc in re versatur. Anteriores verò, qui scripsere contra eos, qui asserbant ex quâdam sati specie pendere omnia, nihilque prorsus conferre industriam nostram ad salutem, constrikti omnino erant ad declarandam omni modo potestatem arbitrii; non verò ad curam in prædicandâ, explicandâque gratiâ ponendam. Suppositam nihilominus, tacitèque semper ab antiquis Patribus intellectam fuisse prævenientem gratiam vel inde solum colligi potest, quod generatim omne bonum Deo referant acceptum, & sæpenumero omnem bonum actum ipsius gratiæ adscribant. Cui possit venire in mentem, propositum ipsis fuisse hoc modo loquendi excludere eam à primâ fide, à primâ electione, à primâ ad bonum determinatione, quæ sit à nobis? Dicebant, quod Deus velit consensum, & nostram operam; id quod verissimum est: sed intelligitur, postea quam sanata per ipsum fuit voluntas, atque excitata.

2. Multo melius tamen elucescet hæc veritas, si quis Græcos singulos consideraverit. Enimverò in eodem S. Justino, qui dixit: ⁴ *habere homines facultatem per liberam electionem fugiendi malum, & amplectendi bonum; & Deum non esse causam cur boni situs, aut mali, sed nostram electionem;* etiam reperiet, *debere omnes in Deo verum omnium effectorem spem ponere; atque ab ipso solo salutem petere & auxilium.* Reperiet quoque: *Si ne ipse quidem, Dei filius suis tribuit viribus, quod salutem consecutus sit; quomodo non, decipit se ipsum, qui existimat sine hac se spe salvandum?* Videatur, an in omni potestate electionis, gratiam supposuerit S. Justinus, siquidem docuit, nè illum quidem hominem, qui maculæ originariæ expers erat, sibi salutem tribuere.

3. Ita in eodem S. Irenæo, qui scripsit: ⁵ *hominem sibi ipsi causam esse cur aut frumentum sit, aut palea, pendere ex nobis facere, vel non facere à Deo imperata; hominem non modò in operibus; sed etiam in fide esse sui arbitrii; oportere item Deo offerre, quod nostrum est, id est fidem in ipsum, & humilitatem.* Inveniet quoque esse nos sicut ⁷ *avidum terræ, quæ si non percipiat humorem (hoc est gratiam) non fructificat; esse item nos sicut lignum avidum, quod nunquam fructum vitæ producit, sine spontanea superna pluvia.* En itaque, quomodo ad omnem fructum liberi nostri arbitrii supposuerit S. Irenæus præcessisse gratuitam gratiæ pluviam.

(1) ibid. l. 1. qu. 1. n. 18. (2) S. Aug. de præd. SS. c. 14. (3) Syn. Araus. can. 6. (4) S. Just. apol. 2. quæst. orth. 8. (5) Dial. cum Tryph. *ἐπὶ τῇ θείᾳ τῶν πάντων ποιήσαντα ἐκπιδόν διὰ πάντας, καὶ παρ' ἐκείνου μόνου σωτηρίαν, καὶ βελτίονα ζωὴν...* Εἰ γὰρ ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ φανίσται... οἱ ἀπὸ τῆς ἐκείνου τούτης σωτηρίας πρὸς δακτύλους ἐκ ταύτης ἀπαιτῶν λογίζονται &c. (6) S. Iren. l. 4. c. 4. & c. 15. (7) l. 5. c. 17.

Clemens
Alexandri-
nus.

4. S. CLEMENS Alexandrinus, qui fidem vocavit *anticipationem voluntariam*, asseruitque *datam de super¹ legem, ut virtutem eligat, qui velit*; concessamque hominibus esse *absolutam potestatem eligendi bonum, vel malum, & implendi praecepta*; daréque *Deumis qui volunt, & suas moderantur actiones*; idem pariter scripsit, *indigere nos ad bene operandum Divinâ gratiâ, & attractione Patris ad se*. Divinam gratiam *movere, exhortari, admonere, excitare, & efficere ut surgamus*. Esse ² *philtrum in homine, quod vocetur inspiratio Divina*. Carnem *fragilem restitutam diabolo per fiduciam in Deo*. Unum esse *adjuvorem nostrum, qui multas, ad procurandam hominum salutem voces habet, multosque modos nosque semper etiam recusantes exhortatur, servavitque non nostris operibus, sed suâ misericordiâ*. Ex omnibus his sententiis facillè colligitur, fieri non potuisse, quin in locis, ubi credendi, & operandi potestatem libero arbitrio tribuit, semper supposuerit gratiam primam. Sic quando dicit, *quod non inviduit ulli salutem ille, qui omnes aequaliter vocavit*.³ Intellege adjutorio communi, & gratiâ unicuique necessariâ. Quando affirmat uti à Medicinâ corpus, ita à Philosophiâ gentili meliorem reddi animum, eamque quid collaturam ad purgandam præparandamque animam per fidem; aliud intelligi non oportet, quam humana quædam, ac naturalis dispositio; inhabilem de cætero se ipsâ esse animam ad omne bonum supernaturale, nisi Divina vocet atque illustret misericordiâ.⁴ Aliis praecepta dedit; aliis Philosophiam; involvit tamen omnes in incredulitate usque ad adventum suum; post quem *inexcusabilis est, qui non credit*.

Origenes.

IV. De omnis generis Pelagianismo speciatim accusatur Origenes, qui primus etiam illius Author à multis habetur. Verum non tam sinistram, ut vidimus, de ipso opinionem habuere S. Basilii M. & S. Gregorius Theologus. Bini hi Doctores ostendunt nobis in *φίλονομία*, quantum à Pelagii erroribus abfuerit Origenes. Monendusque est Lector certò ipsius esse, quidquid ab ipsis Philocaliæ huic insertum fuit, haberique in ejus autographo græco. Dum contrâ proximis ut plurimum temporibus hæc ei dica impacta fuit ab hominibus nonnisi in latinâ versione piscantibus, eaque iis tantum nititur operibus, quæ intercédere; & à quibus nihil amplius extat, nisi versio quædam arbitraria. In hanc re ipsa versionem cecidit reprobatio testimonio Gelasii firmata in Decreto, & ante hunc illa Anastasii, impegitque utra-

que in errores à Pelagianis longè diverfos Certum est, hos nunquam errores objectos fuisse Origeni à capitalissimis etiam suis hostibus, qui ipsum collatis studiis impugnârunt, totque errorum modò jure, modò injuriâ insinularunt. Immo Methodius Tyri Episcopus, qui tractatum de Resurrectione adversus ipsum conscripsit, in Dialogo, Inter absurda quæ ex ipsius, aut ipsi saltem imputatis opinionibus nasci ostendit, illud etiam computat, quod libero arbitrio præjudicet, non gratiæ. Admissis his opinionibus, *quo pacto ostenditur*,⁵ inquit ille, *libero arbitrio pollere animam in hoc mundo? Siquidem in nostrâ potestate est credere, & non credere; quod si ita est, in nostrâ quod potestate est operari bene, vel peccare*. Id quod ex nota etiam clausula intelligitur, quod à morte peccati liberari se non posse D. Paulus agnoverit, nisi per gratiam. Adjungit idem Author adversus Origenianos: *Quâ ratione secundum vestram doctrinam expectare amplius possumus judicium; in quo Deus reddet unicuique secundum opera sua?* Atque hæc habentur in prolixo illo fragmento Methodii, quod refert Epiphanius. Videte itaque, quantum abfuerint ab eo antiqui, ut Origenem hæc in re censerent hæreticum, nedum primum illius hæreseos authorem, qualis hodie sugillatur. Nova illius operum editio, quam modò parat doctus quidam Monachus Congreg. S. Mauri, multas hæc in re tollet præjudicatas opiniones, quemadmodum ex ipso nuperrimè intelleximus.

2. NEQUE defensori jam sumus Origenem, in quibus erravit. Ridicula tamen ejus, & philosophica imaginatio de animarum præexistentia, deque acquisitis in illâ meritis adoptata nunquam fuit à Pelagianis. Fuit, qui aliquem ei errorem tribueret, qui tamen ipsius esse non posse videtur, quandoquidem in iis, quæ supersunt ex autographo, contrarium omnino legitur. In ipsis Russini versionibus legitur non justificari nos, ⁶ nisi *per gratiam fidei*; merum ipsam esse beneficium amoris, *nulius esse debiti*, nec mercedem; esse quidem verum offerre nos debere fidem, atque ita gratiam promereri; docere tamen Apostolum inter cetera etiam fidem esse *donum Spiritus Sancti*. Quomodo poterat clariùs docere Origenes, esse quandam gratiam, quæ præcedat omnia? Habetur quoque ibidem, elaborandum esse, ⁷ *ne accepta gratia inanis fiat*; idque si *gratiæ Dei non existamus ingrati* (priùs igitur data fuit.) *dignâque ei opera subjungamus*; quo casu multiplicabitur. Habetur ibidem,

(1) Clem. Alex. prom. l. 2. & 7. & 8. (2) Pædag. lib. 1. c. 30. τὸ φίλον &c. (3) prom. l. 1. & 7. (4) lb. 7. (5) ap. S. Epiph. hæc. 64. n. 49. πῶς δὲ καὶ τὸ ἀντιθέμενον ἐν τῷ αἰνείῳ ἔχει τὸ κόσμος; ἢ ἡμῖν γὰρ τὸ πιστεύειν καὶ οὐκ, καὶ τὸ μὴ πιστεύειν &c. (6) Comm. in ep. ad Rom. l. 3. c. 3. l. 4. c. 4. Mercedem rem debiti esse, . . . gratiam autem nullius esse debiti &c. (7) l. 7. & 9.

cum,

eum, qui iustificatur per gratiam; dare debere operam, ut possit dicere cum D. Paulo: *gratia in me vacua non fuit*; omnem quæ ex operibus provenire possit, iactantiam excludens, Deoque omnia referens in acceptis. Quis possit post hæc omnia dubitare, an merita à Deo prædestinante prævisa, crediderit trahere originem ab illa gratiâ, cui omnia ipse tribuit? idque vel eò magis, quòd scopus ejus erat, refellere eos, qui prædestinationem tribuebant naturæ. Nunquid quando egit de prædestinatione ad fidem, clarè dixit: quod electio Jacobi, & Esavi non ex operibus facta sit, sed ex proposito Dei, & ex vocantis arbitrio? quòdque ideo promissionis gratia non in filiis carnis impleatur, sed in filiis Dei? hoc est, qui similiter, ut ipsi ex proposito eligantur, & adoptentur in filios? Insolens profectò est, cum nonnulli Ruffinum tanquam Pelagianum traducunt; & dum inferre ex eo deberent non Origeni, sed ipsi adscribendum esse, si quando in ejus versionibus dicta Pelagiana occurrunt; inferant potius è contrario, non habendam esse fidem ejus versioni, quando etiam dicta adfert Catholica, cujusmodi est quod proximè adduximus; dicentes ipsius id esse; non Origenis.

3. Non omitemus etiam monere, demonstratum fuisse à nobis, quando Origenis doctrinam retulimus, quod docuerit, exigere Deum à nobis vitam bonam, tanquam opus nostrum, sensu tamen reliquis omnibus communi. Quomodo difficiliora omnia Scripturæ loca Catholicè interpretatus sit; quomodo item docuerit, existimare neminem debere, suum esse, quod à Cælesti sibi gratia conceditur,² adeò, ut si quis perfectionis etiam gradum adeptus esset, turpi lapsurus sit errore, si sibi vindicet, quam tribuere Deo debebat gloriam, quippe ad quem adquisitione, & conservatione major multò pars redundat. Docuit, licet & nos ad nostram concurramus salutem, verè tamen dici, non venire eam à nobis, sed à Deo; quia pars quam in eâ sibi Deus vindicat, multò major est.³ Omne enim nostrum operari quasi nihili reputandum est comparatè ad id, quod ad bona nostra opera confert misericordia Divina. Diligenter insuper notandum venit, quòd ex ipsius commentario in psalmum quartum vidimus derivari. Nimirum, quod is, qui præligit meliora, Divinâ sit afflatus virtute; & quod talis inspiratio non pendeat ex nobis, omnibusque sit necessaria & ad hoc,

ut fiant boni, & ut tales esse perseverent. An accuratiùs explicari possit, quomodo voluntatis electionem gratia præcedat, quomodo item ipsa sit gratuita; atque ad omnem actum necessaria, Lectoris erit judicare. Notari meretur in hoc loco, vocabulum illud *præeligere*, quo frequenter utuntur Græci ad significandam primam hominis determinationem, non excludat apud ipsos inspirationem Divinam, quæ præcedit omnia.

4. ADVERTAMUS demum, quàm mirum sit, videre quandoque à celeberrimis etiam scriptoribus proscriptum videre Origenem ab effata quædam, omnibus ferè Patribus hac in re communia. De sectariis dicere nil attinet; quippe qui pro eo, ac unum, vel alterum Patrem præmanibus habent; ipsum hæc de re accusant: modò in Justinum; modò in Joannem Chrysostomum, modò in S. Clementem Alexandrinum debacchantes; ignari & græcos & latinos Patres hoc ipso uti idiomate.

ILLOSTRÉS etiam viri deseruerunt Origenem, tanquam hominem hæc in re non ferendum ob propositionem quandam; quæ in antiquis omnibus reperitur. Inter locos desperatos habetur ille de Princ. l. i. *Pro viribus enim nostris tentamus*, qui tamen ex D. Paulo depromptus est. Item ille: *à Deo autem datur, non ut sustineamus, sed ut sustinere possimus*, (volens nimirum ut suò & nos coopereimur auxiliò) *alioquin nullum jam videretur esse certamen*. In omni igitur occasione secundum Origenem, & vires nobis præbet, & auxilium; non dat autem, ut nullò modò vincamur; quæ enim tum superesset causa certandi ei, qui vinci non potest? aut quod palmæ meritum? aut quæ culpa? Talis citra dubium est sensus, qui ex toto contextu eruitur, tametsi non nihil in versione turbatus. Atque hæc sufficient de Origene, cujus gravissimos cæteroqui errores, in iis rebus quibus reverà lapsus est, neque excusate, nec ullo modo tutari intendimus. Ut tamen certissimus, non hallucinatum ipsum fuisse in materia de gratia, sat erit meminisse, quod ab Augustinò, qui falsas ejus opiniones pluribus in locis reprobavit, hæc tamen dere ipsum nunquam perstinxit, ex quo liquet non invenisse ipsum, hæc ex parte, quod in ejus doctrinâ reprehenderet. Error ille, ob quem D. Hieronymus ipsum vocavit *Pelagianorum amicum*, scilicet, quòd crederet, posse hominem eniti ad

Origeni
non erant
in dogmate
de gratia.

(1) 1.7. c.9. (2) Philoc. c.25. τὸ ἀπὸ τῆς ἐξαιρέτης χάριτος αὐτοῦ ἐπιχορηγούμενον . . . μεταπισκομένη καὶ τὴν ἐν αὐτῷ εὐδοκίαν &c. (3) cap. 20. πολλὰ πλάσιον ἔστιν ἡς ὑπερβολὴν τὸ ἀπὸ τοῦ Θεοῦ τῷ ἀπὸ τοῦ ἑαυτοῦ. cap. 25. κατα-
τοῦ τοῦ ἑαυτοῦ ἀλλ' ὡς ἄνευ οὐκ ἔστι τῷ Θεῷ καὶ τῷ τῷ Θεῷ συγκαταστήσει τὸ ἑαυτοῦ τῷ Θεῷ, cap. 25. καὶ τῆς συμπερι-
στῆς θεῶν δυναμὸς τῷ τῷ καλλίστῳ προελαμένῳ &c. καὶ τῆς θεῶν συμπεριστῆς, ἥτις ἔστιν ὡς πρὸς ἡμᾶς ἀποκαταστήσει, ἀλλὰ
καὶ ἡς τὸ &c. (4) de Princ. l. i. c.2. n. 3.

impeccantiam, non erat proprius Pelagianorum error. Quid? quodd docuit S. Augustinus non in hoc versari ipsorum hæresin; nec nimis hic se existimare reluctandum.¹ Malum enim in eo potissimum consistebat, quod dicerent, posse quenkumque pervenire ad virtutem perfectam suis viribus, sine ope Divina; à quo longissimè abfuit Origenes. Quam ob rem ipse etiam S. Hieronymus nullam Pelagianismi fecit mentionem, neque ullius capitis eodem pertinentis, quando Origenis errores recensuit.² Sedulo itaque animadvertendum est, diversissimam fuisse doctrinam Origenis à Pelagianâ, etiam illâ ipsâ in re, de quâ scripsit ad Ctesiphontem Hieronymus, fluxisse ejus errorem ab Origene; nimirum quod crederet posse hominem efficere sese impeccabilem, & imperturbabilem. Quandoquidem docuit Origenes hujusmodi perfectionem acquiri posse virtute gratiæ; Pelagianis contra contentibus posse nos etiam eò eluctari viribus naturæ. Atque id dictum esto, non quò disceptare velimus cum doctissimo quodam Catholico ad adscribendum ipsi Pelagianismi principium propendente; sed unice ut planum fiat, quàm infelicitè conjectarit Janfenius, cum affirmavit non docuisse Pelagium nisi, quæ ex scriptis Origenis didicerat.³

Expositio

V. DICI multa possent de Eusebio, qui verè magnâ cum energiâ explicavit virtutem liberi arbitrii; sed quando dixit doceri nos à Sanctis omnibus, non posse nos quidquam⁴ sine Deo, quis persuadere sibi possit, existimasse nihilominus ipsum à solis nobis primum venire principium. Et cum dixit: *largiri Deum omnibus suam gratiam, etiam peccatoribus, ut manifestum fiat, eos posse eligere*, nonne clarissimè significavit, posse quidem hominem eligere bonum, & malum; bonum tamen non nisi virtute gratiæ, quippe sine quâ non posset, ideòque ut unusquisque possit, eam omnibus clementer impertiri?

S. Athanasius.

2. LEGITUR in D. Athanasio: *posse nos viam, quæ ad Deum ducit, & in nobis est, invenire à nobis principium. Ad agnoscendam illam non nisi nobis nos indigere. Habere voluntatem se hac atque illac movendi potestatem. Facilem esse virtutem, modò velimus,*

nec nisi nostrâ eam opus habere voluntate. At quis non videri intelligi in omnibus hisce effatis prævenientem gratiam: siquidem aliàs expressit, omnem, qui streuè certaverit, dicere posse: *Non ego, sed gratia Dei mecum*; Reportatam ab Antonio de tentationibus victoriam *Salvatoris opus fuisse*; multa item & humanis majora viribus esse præcepta, & dona quæ in nobis collocavit: inter hæc numerari, *Cælestis vitæ formam, agnitionem Patris, & verbi, & dona Spiritus Sancti*, hoc est, fidem, & inspirationem. Docuit pariter, adoptionis nostræ, & fidei, & Sanctimonie causam fuisse electionem Dei; nostramque naturam ad eò esse imbecilem, ut nè sufficiens quidem sit ex se cogitare de Deo.

3. CYRILLUS Jerosolymitanus asseruit: *expectare Deum sinceram cujusque electionem*, intellige, post generalem gratiam. *Gratiam opus habere credentibus*, intellige ad plura in ipsis efficienda; *Seligere Deum animas scrutando voluntates*; gratiamque largiri iis, quos dignos invenit. Intellige, subsequenter illos, qui primâ rectè uli fuerunt. Eandem, vel saltem baptismi gratiam intellige, ubi ait: *ad gratiæ Cælestis receptionem sufficere, ut se quis præparet*, circuire item Deum quærentem, cui eam largiatur, modò sibi quisque non desit. Est alia præparatio gratiæ, alia voluntatis. Illa à Deo solo est; ista & à nobis, & à Deo est. Præparatio nostra ad ulteriores gratias nos à gratiâ supponit præparatos. Sic ipsum intelligi oportere indubitatum est. Siquidem sæpe hic author nobis proponit, omnia nos Deo debere in acceptis referre, *vocasse ipsum*¹⁰ *nos indignos dare ipsum nobis fidem*, si castitatis nobis inijicitur cogitatio, inijci ab ipso; non parvi faciendam esse gratiam, licet gratis detur.¹¹ Habere à Spiritu S. alios temperantiam; alios commiserationem; & nonnullos dispositionem ad martyrium. Sub finem Institutionum consuevit orare Deum, ut nos servet in fide, bonisque operibus; neque omitat mittere nobis Spiritum Sanctum.

S. Cyrillus Jerosolymita.

4. FUIT quandoque, qui miraretur, cum legit in D. Basilio; fuisse quidem promissum in SS. literis, docendos nos generatim timore Dei, sed intelligi debere eos, qui auscultare præeligunt.¹² Non esse nos gra-

S. Basilium.

(1) de perf. just. n. 44. (2) vid. supra. l. 7. c. 7. (3) Janf. de hæres. Pelag. c. 13. (4) Euf. in PSS. pag. 720. διδασκόντες ἡμᾶς, ὅτι χάρις θεῶ ἐστὶν δυνάμις. (5) pag. 258, τὴν παρ' αὐτοῦ χάριν καὶ αὐτοῖς διαρκέοντες εἰς τὸ φανερῶς γενέσθαι τὴν προαίρεσιν. (6) Orat. cont. Idol. n. 30. καὶ ἄλλων ἐστὶν ἡμῶν χάρις, ἀλλ' ἡμῶν αὐτῶν. Orat. 3. cont. Ar. Vit. S. Ant. n. 20. ἡ ἀρετὴ τῷ θεῷ ἡμῶν μόνον χάριν ἔχει &c. (7) Cont. Ar. Orat. 1. n. 1. τὰ μὲν γὰρ ἐν ἡμῶν ἀποταξίνῃ μαθήματα τὰ, καὶ χάρισματά παρ' αὐτοῦ περὶ καὶ ὑπερ' ἀνθρώπων ἐστὶν, θανάσι γὰρ πολιτείας τύπος, καὶ τὸ ὑπὲρ καὶ χάρισμα, καὶ ἑλευθερία ἡ περὶ τῷ πατρὶος γένους, καὶ αὐτῷ τῷ λόγῳ, καὶ δωρεὰ πνεύματος ἁγίου. De inc. Verb. de inc. verb. in &c. (8) Cyr. in procat. n. 1. - Cat. 1. n. 3. (9) Cat. 17. n. 19. μόνον δι' ἑκάστου ἑαυτοῦ ἐνταμιζέσθαι πρὸς ἀποδοκὴν τοῦ ἰσχυροῦς χάριτος. (10) Cat. 25. n. 5. ἀναλίσκοντες ἡμᾶς ἐκλέγοντες. (11) Cat. 1. n. 4. (12) S. Basil. in Pl. XXXIII. τοῖς ἀκούει αὐτοῦ προσηκουμένους in Pl. LXI. μὲν τὰ ἀπὸ κυρίου πάθη, &c. de lib. arb. epist. 291.

sic

vie Divinae capaces, nisi pravae primum ex animo ejiciamus appetitiones; non consecutos nos auxilium Divinum, nisi nos primum à cupiditatibus, & voluptatibus abalienaverimus; & sub finem, pendere ex nostrâ voluntate ajutorium Divinum. At quis non videt de secundâ hic gratiâ disputari? Legitur etiam in S. Basilio, ¹ esse nos omnes *casâ in bonum usum elaborata à supremo artifice.* Et respectâ similitudine Pauli, ibidem legitur, posse liberum arbitrium vel auro, vel argilla nos facere similes. Item, ex cuiusque electione pendere abstinentionem à malo. ² Quis autem non advertit intelligi semper auxilium gratiae? Quis itidem non capit praesupponere S. Basilium hujus virtutem in animâ, cum docet, debere nos primum velle, & deinde obedire; & habere naturam motionem aequalem in utramque partem? Sic gratis, & injuriâ quis ipsum reprehenderet, quod philocaliâ inferuerit, ³ exigere Deum à nobis vitam bonam, tanquam opus nostrum, non suum. Quia huic ipsi collectioni complura effata inseruit, quibus declarat, omnem nostram actionem, quae quidem Deum respiciat, Divinam supponere virtutem. Fitque haec veritas eò manifestior, quod ipse doceat Basilium, ⁴ persuasum esse nobis debere, nihil prorsus boni fieri à nobis propriis viribus. Si boni quid egisse nobis videmur, gratias nos agere debere Deo; Quod Deum laudare possimus, id inde esse, quod nos ipse praevenerit. Vanas semper fore sine ipso vires nostras; Omne bonum esse operationem gratiae, quae omnia faciat in omnibus. Docemur etiam abunde his sententiis, quam ridiculus esset, qui Pelagianismum affricare vellent Basilio. Dixit enim iteratis vicibus, appellatum ⁵ à Davide liberum arbitrium fuisse stateram; siquidem instar staterae ad utramque se potest partem aequaliter inclinare. Non est haec statera illa, nec aequilibrium illud malum, de quo Augustinus reprehendit Pelagium, volentem vires ad bonum & malum aequales inesse arbitrio exarmato, solâque facultate naturali instructo; atque ita paribus ⁶ momentis potestatem voluntatis aequali lance perpendentem, ut quantum ad peccandum, tantum etiam ad non peccandum valere definiver, nullò amplius adjutorie gratiae loco reservato. Aequalis potestas à S. Basilio,

aliisque antiquis Patribus asserta sineest animae primâ gratiâ munitae, & aequali adversus concupiscentiam pondere nititur.

5. Quis carpere vellet Gregorium Nyssenum, quod dixerit, dedisse nobis Deum potestatem absolutam, & arbitrium, & aequale in utramque partem? ⁷ alternas in nobis, obire vices bonum & malum, quia liberam habemus eligendi potestatem, & aequalem facultatem ad utrumque è duobus contrariis. Omnem, qui petit accipere; & omni, qui pulsatur, aperiri; idèque ingredi penes nostram esse voluntatem; bonumque & malum pendere ex nobis. Qui vellet, inquam, de his ipsum sententiis tanquam suspectis carpere, is ostenderet non legisse se in ipso, quomodo Servator verus animae medicus sublati mali causis spiritali nos reddat sanitati, morboque in paradiso contracto liberet. Quomodo debeamus orare Deum, ut bonam nobis impertiat voluntatem; siquidem natura humana boni est incapax, postquam fuit enervata per malitiam. Et quomodo plura nobis proponantur dogmata in his verbis: surge, & veni; indicantibus nimirum Deum excitantem, atque ad se attrahentem; ita, ut quoties hoc dicit, ad meliora etiam surgendi det vires. Denique, quod quidquid nobis boni à Divinâ obvenit virtute, gratiae omnia efficientis operationem vocerit.

6. Quis audeat exprobrare S. Gregorio Nazianzeno, cur literis consignaverit; ⁸ recedere nos à virtutibus, cum nostrâ utimur ratione, cumque libero arbitrio excitamus in nobis honesti scintillas. Quis itidem adversari ei ausit, ubi scribit, ⁹ non sufficere donum supernum; sed oportere, ut velint homines, & ad partem illam inclinent, utque se dignos reddant; idque non solum à Deo, sed & à se ipsis consequantur. Item; datum fuisse ipsis arbitrium, ut bonum non minus esset opus ipsorum, quam illius, qui semina jecit. Quisquis, inquam, hunc Doctorem ob hujusmodi accusaret sententias, facile ostenderet, non observasse se, ubi in iisdem dissertationibus, hominibus omne opus bonum sibi, nihil verò omnium bonorum autbori; adscribentibus, demonstrat, D. Paulum docere, quod ipsa boni volitio Divinâ opus habeat auxilio, & ipsa eorum quae decent electio, sit nescio, quid Divini, & Divinae donum benignitatis. Siquidem salutem nos-

(1) in Pl. LXI. (2) de Spir. S. c. 8. n. 5. Comment. in Il. n. 202. (3) Phil. c. 20. καὶ αὐτοὶ ἡμεῖς τὸ τοῦ Θεοῦ, ὡς καὶ αὐτὸ ἐστίν. (4) Constit. Mon. c. 15. καὶ οὐδὲν ἄλλος κατεργάσθαι, ἢ αὐτοῦ λογισμοῖσι δυνάμεως. Serm. de Humil. ἐνχαρίσται τῷ Θεῷ &c. (5) S. Basil. in Pl. LXI. n. 4. ὁ καὶ ζῶντος ἀνθρώπου διὰ τὸ ἴσθαι δυνάμει λαμβάνειν τὴν βοήθειαν ἐκ ἑαυτοῦ. (6) Aug. op. imp. l. 3. n. 117. epist. 186. n. 34. (7) Greg. Nyss. in Orat. Dom. c. 4. ἴσον ἐστὶν ἀμφότες &c. de Beat. Orat. 5. ἐφ' ἧμῖν εἰσπράττει βελούμεθα &c. in Orat. Dom. Serm. 4. διὰ τί διὰ τὴν παρὰ τῷ Θεῷ γινώσκου τὴν ἀγαθὴν ἡμῶν προαίρεσιν ἐπευχομένην; ἐνὶ αὐτῇ νῦν ἡ ἀνθρωπίνη φύσις πρὸς τὸ ἀγαθὸν ἐστίν, ἀπαρὰ διὰ κακίας ἐκνευμένη. in Cant. Hom. 5. ταπεινὴς τῆς πρὸς τὸ κρείττον ἀναβάσεως τὴν δύναμιν δίδωσιν. De diff. ess. & hyp. τῆς πάντα ἐνέργειας χάριτος ἐνέργειαν ἑαυτοῦ φανερῶν. (8) Greg. Naz. Orat. 31. τὸν σπουδῆται τῷ καλῷ διὰ τῆς προαίρεσεως ἀνάψας &c. (9) δίδεται καὶ τοῖς βελούτοις, καὶ τοῖς ἐνὶ νουνοῖς... ἀλλὰ καὶ ἑαυτοῖς δίδωσιν. Orat. 42. αὐτοῖς αὖτις τιμῆσαι, ἢ ἡ τῷ ἱεροῦ τὸ ἀγαθὸν ἐκ ἡμῶν ἴσθαι &c. Orat. 31. ἐνὶ καὶ τὸ βελούτον καλῶς δίδωται τῆς παρὰ Θεοῦ βοήθειας. εἴτα ἑαυτοῖς καὶ τὸ βελούτον παρὰ Θεοῦ τὸ πάντως ἀνίσταται τῷ Θεῷ.

tram & à nobis, & à Deo provenire necesse est. Hinc dixit Apostolus: *Non est volentis, hoc est, non solius est volentis, nec solius currentis, sed etiam misentis Dei.* Hinc est, quod cum etiam voluntas veniat à Deo, totum jure tribuerit Deo. Impugnari melius non poterat Semipelagianismus nondum natus, quam declarando, debere & voluntatem, & electionem præcedi à gratiâ, & tamen omnia generatim loquendo venire à Deo. Pronunciavit de patre suo S. hic Episcopus, fuisse ipsum justum, & castum, etiam ante, quam fieret Christianus, & hanc forte ob causam fidem reportasse in premium.¹ Verum non ideo censendus est non agnovisse primam inspirationem, utpote supernaturalem, & gratuitam. Cum in aperto sit, bonitatem naturalem tantam nunquam habere rationem meriti; sed esse tantum humanæ instar dispositionis. Unde etiam cum dicebat præluisset ipsum fidei certâ quâdam ratione ob suam probitatem, intervenire in hac ipsâ Divinam censebat misericordiam.

S. Chrysostomus.

(*) Tillamontius.

VI. Quid dicemus de S. Chrysostomo, cui speciatim Semipelagianismi nota inuritur? Author quidam recentior(*) & celebris mirâ quâdam suavitate hanc ipsi hæresin tribuit, specioso quodam modo tegens accusationem, atque inter multa elogia hanc se occultare velle præ se ferens. Verum enim verò cum dicit, inquirere in ipso dogma de gratiâ volentem similiter facturum, ac si dogma de Trinitate inquireret in Origene; neque mirum esse, non fuisse ipsum in materiâ de gratiâ uberius collustratum, quam ipse fuerat Augustinus, ante, quam esset Episcopus, dum inquam hæc dicit, accusat apertè Chrysostomum tanquam virum qui & vixerit, & mortuus sit in Semipelagianismo; quando nobis constat Origenem de Trinitate gravissimos incurrisse errores; & S. Augustinum ante Episcopatum ejusdem fuisse sententiæ, cujus postmodum Semipelagiani. Qua in re paradoxum inprimis foret, quod Augustinus cum monere ipsum, & refellere debuisset, adduxerit ipsum sæpe potius contra novos hæreticos, quibus cum disputavit. Mirum præterea est, qui hunc in modum disputant, non intelligere, non soli hic Chrysostomo, sed toti græcæ Ecclesiæ ipso anteriori, & posteriori notam inuri; quandoquidem posterioris ævi Scriptores eodem utuntur idiomate; Scripturæque Interpretes, uti Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius, & alii laudi sibi duxerunt exscribere, repetereque, quæ ipse scripserat.

2. Non desunt modò, qui adversus

Chrysostomum referant Hieronymum. Sed de operibus hujus Patris consulatur editio Veronenfis. Consulatur tomus primus, qui per hos ipsos dies Parisiis jam tum excusus prostat ad paginam usque 750. Non fuit scriptum hoc Hieronymi, sed furiosi Theophili Alexandrini. Vertit ipsum Hieronymus, continuis illius per-morus precibus, sed contra Chrysostomum de suo nè verbum protulit. Magnus cæteroqui id temporis adversus S. hunc Episcopum vagabatur rumor ob calumnias tantò sparsas studio, ac disseminatas, quod Origenis, atque Origenianorum amplecteretur opiniones. Non tamen idcirco aut Origeni, aut ipsi criminis quidquam objectum fuit in materia de gratiâ, arbitrio, & prædestinatione. Habemus in Facundo Armeno falsissimæ² accusationis capita, relata insulis, inficetisque Theophili verbis. Insimulabant ipsum erroris Ariani, Eunomiani, aliorumque complurium, at non opinionis Pelagianæ. Immo visuri mox sumus, tradidisse Hieronymum ipsissimas Chrysostomi doctrinas, easdemque adhibuisse modos loquendi.

3. IDIOMA insignis hujus Authoris fuscè jam tum protulimus libro sexto. *Eligere³ optimum, velle illud, & coram voluntatis est. Auxilium volendo, & curando impetratur. Si Abraham non fecisset premium, quod suum erat, non obtinisset, quod à Deo est. Gratiâ nostram premium operum requirit. Præcedit ipsam voluntas. Principia sunt in nostrâ potestate. Electionis nos Dominus sanus. Oportet ut premium nos eligamus bonum, ac tum dat nobis, quod spectat ad ipsum. Non præcedit voluntatem, nè offendant arbitrium. Si volueris, operabitur Deus in te velle. Non venit donum, si prius non eligatur. Trahit Deus per gratiam, sed illos, qui volunt. Non suis voluntates nostras donis præcedit: at cum nos incipimus, cum voluntatem offerimus, multa nobis media ad salutem concedit.*

4. At cur ob hujusmodi effata solus in jus vocabitur Chrysostomus, quando Antiquis hæc sunt communia? Verum est, non reperiri hæc in aliis ita frequenter, neque tot modis variata. Sed hoc inde oritur, quod ceteri tam multa non scripserint, neque occasionem habuerint hujusmodi argumentum versandi. Oportet itaque dici in Magni hujus Patris defensionem, quod in aliorum defensionem dictum est. Verba, & propositiones erant, suntque sæpenumero eadem in hæreticis, quæ in Catholicis; sed intelligentia erat, & est diversa, & sensus contrarius. Docbat Author noster requiri primùm à gratiâ nostram industriam; id quod verissi-

Exponitur quedam formulæ loquendi ex Chrysostomo.

(1) Orat. 19. πάλιν καὶ πάλιν αἰσῶν τὸν πῶλον ἀνέχεσθαι. (2) l. 6. c. ult. (3) Chrys. in Rom. hom. 2. ἡλθὲν τὰ καὶ αὐτὰ, καὶ ἐν αὐτοῖς. &c. in Dan. hom. 3; in Gen. hom. 2. de Comp. l. 1. in Ps. CXX. in Hebr. hom. 12, in Phil. hom. 8. in Joan. hom. 18.

mum est, si gratiæ nomine habitualement, iustificantem, & sanctificantem intelligimus; quam certè in adultis præcedere debet ipsorum consensus; sed hic fructus est gratiæ actualis, quæ omnia est antegressa. Dicebat: si volueris, operabitur in te velle, quo non significatur, posse te velle ex te, sed cum Deo opitulante velle cœpisti, ad determinationem, perfectionemque operis maiorem, vehementerque gratiam requiri; ¹ *cum perficere quàm inchoare sit majus*. Dicebat: si Deus te operantem viderit, unâ operabitur: non quidem quasi causam primam secunda prævertat; sed ut certò quoddam loquendi modò exprimat gratiam cooperantem subsequi consensum arbitrii. Eundem etiam in modum locutus quandoque fuit Augustinus. Docuit pariter Chrysostomus non præcedere Deum nostram voluntatem; sed intelligebat, non præcedere vim inferendo, quæ ita ad se trahat voluntatem, ut volitio non amplius sua sit. Docebat: debere nos primùm decernere, velle, eligere; sed illam supponebat gratiam, quæ hanc nobis clanculùm suppeditat facultatem. Docebat, volendo, & omnem diligentiam adhibendo impetrari à nobis gratiam; sed intelligebat subsequenter, & adjuvantem. At unde evincitur ita ipsum hæc intellexisse? Evincitur ex eo, quod pluribus idem in locis clarè expresserit. Quo abunde opinionem suam, & doctrinam manifestam fecit. Unde ex his reliquorum omnium norma petenda est. Molesta sanè, atque intolerabilis res foret, si omni propositioni quæ finistrè explicari possit, clausulam aliquam in loquendo deberemus adhibere. Eratque hoc eò minus id temporis necessarium, quòd exortà nondum semipelagianorum secta, gratia præveniens tacitè intelligebatur ab omnibus. Ac pro certo habere possumus, ab ipso etiam Chrysostomo quædam aliter efferenda fuisse, postquam ob natas deinde controversias ambigua evaserant, & significationis incertæ.

5. PRÆTERMISSIS itaque locis quàm plurimis, ubi Author noster affirmat, quidquid ad salutem pertinet, venire à Deo, nullâque de re gloriari nos posse, cum de bonâ vitâ agitur, docet idem diserte:

posse homines suo studio bona hæc facere opera; at post gratiam supernam. ² Docet, manifestum esse, ³ suâ quemque voluntate virtutem, aut malitiam eligere; omniâque Deum nostræ reliquisse electioni; sed post supernam gratiam. Credebat igitur electioni nostræ præcedere gratiam; supponens semper ea, quæ aliquando perspicuè expressit. Habet in aliâ Homiliâ: ⁴ *Quia sui juris condidit naturam nostram, omnia quæ sua sunt nobis exhibet, & profunda cogitationum detegens secreta, & sui sequens amoris impulsus, hortatur, consulit, malâque facinora præveniendo reprimat. Non quidem infert necessitatem, sed appositis opportunis remediis operantis omnia arbitrio permittit.* Ex ipsius itaque sententiâ offert nobis primùm Deus quidquid suum est, nostroque nos permittit arbitrio; at postquam prævenit remedio, id est gratiâ primâ, quam Augustini, aliorumque more *medicinam* in hoc loco vocat Chrysostomus. Scripsit etiam ipse clarissimè Deum esse, qui nobis principia, motiva, radicem, & fontem præbuit. ⁵ ac postmodum exponit intelligi his verbis Spiritum S. & fidem. Quo pacto amabo posset dilucidè magis exponi dogma Catholicum? Declaravit gratiâ nos salvos factos per fidem. Nos tamen in hac non prævenisse credendo, sed obedivisse vocatos. ⁶ Quis posset gratiam prævenientem, & gratuitam prædestinationem ad fidem distinctiùs, atque explicatiùs proponere? Ita Comment. in Acta Apost. ⁷ *Absit, ut cogitemus habere nos aliquid de nostro: cum nò ipsa quidem fides sit nostra!* Ita in parabolam S. Matthæi monet ⁸ *vocationem esse à gratiâ; & à gratiâ provenisse, non à merito, quod fuimus vocati.*

6. Nec fraudi nobis esse debet, cum quandoque vocationis nomen ulteriori etiam gratiæ tribuit; uti quando dicit de Centurione. *Qui non illuminatur, illum esse in culpâ, propterea, quòd se dignum non rediderit.* ⁹ In hoc ipso loco habetur, non habuisse hoc illum de se; & ad credendum quoque opus esse Spiritus Sancti auxilio, qui cor aperiat. Habetur ibidem, fidem etiam Dei donum esse; & in salute maximam partem, imò totum pene debere Deo. Idem esto iudicium, cum ait de S. Matthæo: ¹⁰ *Cur non vocavit ipsum unâ cum Petro, Joanne, & aliis discipulis? Quemadmodum*

(1) de don. perf. n. 54. (2) in Gen. hom. 23. *ὅτι τῇ οἰκίᾳ σπουδὴ τῶν κατὰ φύσιν δυνάμεων μετὰ τὴν ἀνάσσειν χάριν.* (3) hom. 22. *ἐκ τοῦτο, ὅτι διὰ τὸ ἑαυτοὺς δικαίᾳ προαιεῖν &c. ἀλλ' ἐπειδὴ ἐν τῇ προαιεσί τῇ ἡμετέρᾳ καταλύει μετὰ τὴν ἀνάσσειν χάριν τὸ πᾶν.* (4) Hom. 19. *τὰ μὲν ἑαυτοῖς ἀπὸ τῆς ἐπιθυμίας... ἀλλὰ τὰ φαρμακὰ κατὰ φύσιν ἐκείνους, ἀφίστοι ἐν τῇ γνώμῃ τῶ καυνοῦτος κινεῖται τὸ πᾶν.* (5) in 2. Cor. hom. 3. *τὰς ἀρχὰς καὶ τὰς ὑποθέσεις ἴδωκε, καὶ τὴν ἐξουσίαν, καὶ τὴν πηγὴν, εἶον &c.* (6) in 1. Cor. hom. 3. *ὅτι γὰρ οὐκ ἐστὶν ἐκείνους προλαβόντες, ἀλλὰ κληθέντες ὑποκινούμενοι.* (7) in Act. hom. 30. *ὅπως καὶ αὐτὴ ἡ πίστις ἐκ ἡμετέρων.* (8) in Matth. hom. 69. *τὸ κληθῆναι δὲ ἐκ ἀπὸ τῆς ἀξίας γίνεται, ἀλλ' ὑπὸ τῆς χάριτος.* (9) in Pf. CXVII. *ὁ Θεὸς αὐτοῦ ἐκάλει, ἐπειδὴ προλαβὼν ἑαυτοῦν ἀξίον παρεκίνησε... ὅτι γὰρ οὐκ ὄντος ἐκείνου τῆτο ἔργου καὶ ἐνταῦθα τῆς τῆς πνεύματος χάριτος βοήθειαν.* (10) in Matth. hom. 31. *ὥστε ποτὶ παρεκίνητο, ὅτι ἦν τὰς ἀνθρώπων παιδεύσεως, ὅτι καὶ τοὶ Ματθαῖοι τότε ἐκάλει, ὅτι ἠπίεστο ἡρώδης.*

apparuit hominibus, quando eos parituros sibi cognovit: ita & Matthaeum vocavit, quando miraculorum tantum famam commotus, sibi non restitutum praevidit. Eandem ob causam Paulum nonnisi post resurrectionem piscatus est, quia intuens occulta cordium, novit, quando quis magis aptus est ad parandum. Hinc non vocavit ipsum cum maxime ferociret; sed, postquam miracula ipsum cicuraverant, cum quibus operabatur gratia interior; quæque etiam erant species quædam vocationis. Significat hoc, cum dixit, *vocatum fuisse*,¹ quando erat obediurus, & quando videbat Dominum vocationem ipsius animum penetraturam. Etiam cum persequeretur credentes, amabat in ipso Deus rectitudinem intentionis; proficiscebatur enim res tota à zelo, etsi imaginariò. Ità satis liquet; de gratiâ subsequente loqui Chrysostomum, ubi dicit: *Nisi nostra prius requireretur opera, se in omnium animos illa diffunderet.* Illis, qui de neglecta emendatione se purgabant dicentes, non habuisse se gratiam quæ data fuerat Divis Petro, & Paulo, ità responder: ² *Valeret hæc excusatio, si jussus fuisset illuminare cæcos, suscitare mortuos: at non quando agitur de vitâ bonâ. Gratiam enim, quæ ad hoc sufficit, in baptismo consecutus es; & participasti Spiritum; unde tibi soli mali mores imputandi sunt.* Non igitur ex propriâ virtute; sed à gratiâ in baptismo collatâ censebat ipse. Christiannè vivendi vires derivari.

7. Hinc est, quod regenerationem hanc novam creationem vocaverit; exponens illud Pauli ad Ephesios: *creati in Christo ad bona opera.* Versiones latinæ Chrysostomi profectò reddiderunt: *nova creatura.* D. Paulus & ad creationem, & ad creaturam significandam usus fuit hæc voce cap. i. ad Rom. Verùm in hoc loco ex contextu Chrysostomi liquet, quod dicere voluerit: *creatio.* Indigitat³ hic Apostolus regenerationem; revera est alia quædam creatio. Ex non existentibus facti sumus existentes; quod prius eramus, homo nimirum antiquus, mortuum est, quod non eramus, evasimus. Est igitur id verè creatio; & magis æstimanda quàm alia; ex illa enim, ut viveremus, ex hac verò, ut bene viveremus, accepimus. En, quod extracti fuerimus è nihilo, ad justificationis existentiam, à secundæ creationis gratia, non à primæ uti Pelagiani, profectum fuisse agnovit!

Ab illâ prædicabat⁴ non hoc tantum vel illud, sed quicquid habemus, nos accepisse. Non enim tua sunt hæc bona opera; sed gratia Divinæ. Quodsi fidem tuam dicas, & hanc à vocatione venisse memineris. En denuo, quod vocationis principium duxerit à Deo. Dicet nonnunquam, *fidem afferri à nobis*, quasi rem tantummodò nostram. Verùm discute locum integrum, & reperies, *solam gratiam nobis dare notitiam Dei, & veritatis*; quo innuit, etiam fidei principium esse ab ipso. Quod debeamus nos primum dignos reddere misericordiâ, exposuit, quod debeamus oratione hoc efficere.⁵ Intelligebat igitur misericordiam ulteriorem, eam supponens, quæ nobis dat facultatem orandi. Ita novam quandam excitationem, eamque majorem ac per prioris virtutem procuratæ intelligebat, quando postquam dixerat, *gratiam esse in omnibus, à multis tamen non curari*; nos cohortatur ut non expectemus, dum excitet Christus; sed ut ipsi Christum excitemus.⁶

8. Quot non in eximio hoc Doctore reperimus sententias, quibus Semipelagianos in antecessum confecit? Non omittit unquam, cum occasio se offert, docere nos,⁷ solere Dominum nostras preces prævenire. Apostolis fidem gentibus annunciantibus, difficultates omnes. Sustulisse gratiam præveniendo. Consequi nos primum à Spiritu Sancto donum obtenta sanctitatis; non prævenisse dantaxat nos Deum beneficiis, quando nos condidit; sed etiam quando nos illuminat, quid agere aut non agere conveniat. In beneficiorum collatione non soluisse ipsum debita, quasi nostra præcessissent opera, sed ipsum capisse.⁸ Fecisse ipsum Apostolos suos primum agnos; voluisse deinde, ut & ipsi quid conferrent, nè omnia viderentur habere à gratia, & immeritò coronari. Disertè declarat, habere nos fidem merà gratiâ, fuissetque vocatos, quia ità videbatur Deo, non quasi digni essemus.⁹ Id quod hic ità diffusè exponit, ut magis non potuisset, si in animo habuisset scribere adversus Semipelagianos. Hortatur ad agendas Deo gratias, quia fuimus inter eos, qui salvantur; & quia nostrò id meritò esse non valentes, id sumus Dei munere. Atque hoc donum est fides. Notat in eadem dissertatione, coronari nos à Divinâ clementia ob bona nostra opera, licet à nobis accipiat, quæ sua sunt;¹⁰ id quod est sua omnino dono co-

(1) hom. 69. ὅτε καὶ αὐτὸς ἐμελλε πελιδνεῖται. (2) de comp. cor. i. i. n. 8. (3) in Eph. hom. 4. τὴν ἀναγέννησιν ἐνταῦθα ἀντίστοιχον. ὅπως κλισίαι ἐνέργειαι. Ex τῷ μὴ ὅτις εἰς τὸ εἶναι παρηγόρημα, ὅπερ ἡμῶν περισσεύει ἐπιτάφοισιν, ταῖς τῶν ἐπαλθόντων ἀνθρώπων, ὅπερ οὐκ ἔστιν ἐν ἡμῶν προέξον, ἐντελεσθῆναι. ἀλλὰ κλισίαι τοῦ πραγμᾶτος εἰς, καὶ τῆς ἐνέργειας ἐντελεσθῆναι, ἢ ἐκείνης μὴ γὰρ τὸ εἶναι, ἐὰν δὲ πάντες τὸ καλὸν εἶναι ἡμῶν παρασχομένη. (4) in i. Cor. Hom. 12. (5) in i. Cor. Hom. 2. ἀλλὰ τὸ εἶναι συνέχον αὐτὸν καὶ ὁμῶν τῇ δόξῃ. (6) in Pl. XXXVI. (7) in Gen. hom. 38. in Joan. hom. 14. in Joan. hom. 71. (8) in Joan. hom. 71. ἀλλὰ αὐτοὺς κατὰ ἑξῆς. (9) in i. Cor. hom. 1. ἐπειδὴ αὐτὸς εἰδοὺς ἐκλήθημεν, οὐκ ἐπειδὴ ἀξιοὶ ἡμῶν. in Rom. hom. 18. ἐν χάριτι αὐτοῦ τοῖν, ἐν τῶν σωζομένων γενόμενοι εἰς. (10) n. 6. ὅτι σε σέβοντο, καὶ ταῦτα τὰ αὐτῷ μὴ μόνον λαμβάνοντο.

non aré, uti sæpe loquitur Augustinus. Homiliâ sequente reperit, à supernâ gratiâ¹ venisse omnia. Afferit alibi, gratiam² prius coronare; deinde in aciem nos educere; quo significare voluit, præveniri ab ipso omnem actum voluntatis. Quamquam supervacaneum est, in re adeò perspicuâ fatigare amplius lectorem. Atque hic est author ille, quem recentiores nobis depingunt, tanquam Semipelagianorum principem; & adeò sinistris in materiâ de gratiâ opinionibus præventum, quàm fuisse creditur Origenes in materiâ de Trinitate.

Animad-
versio Au-
thoris.

VII. ATTEXEMUS hic animadversionem maximi sanè momenti. Si recentitæ modò propositiones græcorum Patrum sufficerent ad authores Semipelagianis annumerandos, non græca modò, sed latina etiam Ecclesia integris⁴ sæculis perinde infecta fuisset Semipelagianorum erroribus. Siquidem Patres latini primorum sæculorum eodem idiomate, eademque phrasi uti fuere: adeò quidem, ut dici de S. Augustino non deberet, quod præclaris tot operibus accuratius nobis declaraverit partem quandam dogmatis, cui minutè magis, majorique cum cautellâ disquirendo occasionem præbuere Pelagianis. Sed dici potius oporteret, deviasse ipsum à communis traditione, novumque dogma invexisse. Mirum profecto est, in tantâ literariâ rei luce, pergere nihilominus complures asserere, de arbitrio, & gratia secus sensuisse Græcos, ac Latinos. An igitur non legimus in Cypriano:³ *hominem libertati suæ relictum, & in arbitrio proprio constitutum sibi metipsum vel mortem appetere, vel salutem.* Nonne scribit ex instituto:⁴ *credendi vel non credendi libertatem in arbitrio positam?*⁵ Dominum nobiscum esse, quamdiu & nos sumus cum ipso.⁶ Unumquemque secundum Dominicam promissâ & fidei suæ merita... accipere de Dei ope.⁷ Nonne habemus in Tertulliano:⁸ Si obedire legi non esset in potestate nostrâ, lex nobis id non imponeret? non profuturas minas, nec admonitiones, si homo non haberet obsequium debitum legi, in suâ potestate?⁹ Totam nobis libertatem arbitrii in utramque partem concessam esse.⁹ hominem in die iudicii justificatum se de arbitrii sui meritis?¹⁰ Auditis præceptis nostrum esse arbitrium eligendi?¹¹

Etiam latini Patres eadem uti sunt phrasi.

2. AUDACTER scripsit Hilarius.¹² Ex nobis initium esse, ut Deus perficiat.¹³ Incipiendi à nobis originem esse.¹⁴ Voluntatem nostram hoc proprium ex se habere debere, ut velit; Deum deinde daturum augmentum; meritum tamen adipiscendæ consummationis esse ex initio voluntatis;¹⁵ esse à nobis, cum oramus, exordium; esse item à nobis quærere, obtinere, conservare. Afferuit quoque Hilarius Diaconus:¹⁶ nostrum esse velle; perficere verò Dei; Deum bonos conatus adjuvare.

3. LEGITUR in D. Ambrosio: oportere¹⁷ ut tales nos præbeamus bonis studiis, & promptâ fide, ut Deus nostri misereatur, & vocet nos.¹⁸ non posse dici de Christo: non præbuit mihi cibum; donat enim omnibus. Venit verbum, & januam pulsavit; semperque cuperet intrare: at nos obstitimus. Legitur: sapientem esse liberum, arbiter enim electionis bonum eligit; unumquemque sibi metipsum aut lumen esse, aut caliginem; tuumque tibi agrum colendum esse,¹⁹ ut, cum venerit, qui seminat verbum, animam tuam inveniat paratam. Deus enim præbet alimentum, sed præbet requirenti cum labore. Ne igitur expectes, inquit porro, ut excitet te Christus, sed tu potius Christum excita: si ipsum excitabis, excitabit ille te à somno, vitamque reddet. Explicavit: non esse volentis, neque currentis; non esse enim in hominis potestate: sed miserentis Dei, ut possis complere, quæ cæperis.²⁰

4. QUÔ demum locò collocabimus D. Hieronymum, qui adeò adversatus fuit Pelagianis, ut ejus causâ ad bella funesta ventum sit, & à quo Augustinus ad ipsos debellandos maximas habuit suppetias? Et tamen dicere veritus non est,²¹ initia voluntatis in nobis esse. Nostrum esse²² rogare; illius tribuere, quod rogatur; nostrum incipere, illius perficere. Neque religioni sibi duxit loqui in hunc modum:²³ Sive ergo in bonam, sive in malam partem nec Deus, nec diabolus operationis nostræ causa est; quia persuasio nostra non est ex eo, qui vocavit nos; sed ex nobis, qui consentimus, vel non consentimus vocanti.... Inter hoc jurgium media anima consistit, habens quidem in sua potestate bonum, & malum; vellet, & nolle. Donum Dei²⁴ fides est; quia arbitrii libertas Deum habet auctorem. Ipse²⁵ potentiam suam nostro arbitrio derelinquit.

(1) in Rom. hom. 19. n. 5. ὅτι το πᾶν τῆς χάριτος τῆς ἀναδεν ὑμῶν. (2) in Rom. hom. 11. ἀντὶ δὲ πρὸς ἡμᾶς ἐπεκτεινέται; καὶ τὸ αὐτὸ εἰς τὸς ἀγῶνας διδύκνῃ. (3) S. Cypr. ep. ad Corn. (4) Testim. l. 3. c. 52. (5) Exhort. Mart. c. 8. (6) e. 10. (7) Tertul. con. Marc. l. 2. c. 5. (8) ibid. (9) ibid. (10) ibid. (11) Exhort. ad ead. (12) S. Hil. in Pl. CXVIII. lit. 16. (13) lit. 14. n. 20. (14) ibid. (15) lit. 5. (16) Hil. Diacon. in ep. ad Phil. (17) S. Ambros. de Abr. l. 2. n. 74. (18) de int. Dav. l. 4. c. 2. in Pl. CXVIII. Sermon. 11. ep. 37. (19) in Pl. XXXVI. n. 12. (20) in Pl. CXVIII. Ser. 10. n. 35. (21) in Ezech. c. 3. (22) adv. Pel. dial. 3. (23) in Gal. V. 8. (24) in ep. ad Eph. (25) in Il. c. 49.

Hac¹ arbitrii voluntate in utramque partem, ut volumus, declinamus. Deus² aequali cunctos sorte generavit, & dedit arbitrii libertatem, ut faciat unusquisque, quod volet, sive bonum, sive malum.

5. Jam verò quoruscunque est, qui non videat ipsissimum Græcorum hoc esse idiomma? Quid dicemus igitur, cum modò solus accusatur Origenes, modò solus Justinus, modò solus Clemens Alexandrinus, solus Chrysostomus, aut alius quispiam istius nationis? quid dicemus, cum ob unam, alteramve hujusmodi sententiam continuo reprobantur nonnulli Patres, nunquam olim damnati? cum occurrente simili quodam dicto omnes stupent, misero illo Scriptore mox proscripto, atque in hæreticorum numerum propriâ auctoritate relato? Quis non adverit, relatas supra propositiones Patrum insigniorum inter Latinos malam pariter in partem accipi posse, ita ut in Pelagianorum ore saperent hæresin? In his autem non reperitur ipsorum correctio, aut sana quædam interpretatio, cujusmodi invenitur in SS. Patribus. Legimus enim in Cypriano: ³ in nullo gloriantur quid enim habes, quod non acceperis? ⁴ Dei est omne, quod possumus. Cum nos coronat, ⁵ remunerat in nobis, quidquid ipse præstitit; & honorat, quod ipse perficit. in S. Hilario legimus: ⁶ Salus nostra ex misericordia Dei est; & inde cepit oratio, unde salus inchoat deprecantis. Legitur ibidem asseruisse David, omnia à bonitate Dei in se inchoari. En igitur, quomodo S. hic Episcopus & dixerit incipere salutem à nobis, & dixerit incipere à Deo! ex quo, quis non intelligit, nos illam inchoare determinando; Deum verò inchoare præveniendo, ut nos possimus determinare? atque ita prævenire, ut nostra etiam determinatio ipsi debeat. Quis non intelligit, principium, quod à Deo est, primum esse, & absolutum; quod autem ab homine est, secundum esse, & relativum? Docuit idem: ⁷ Recordantibus omnia ex Deo esse nullam esse causam gloriandi. Et denuo: nihil nostrum existimandum; omnia esse ab ipso; in omnibus opus esse Dei misericordiam. Quantò magis igitur in fidei, & conversionis principio. Immo disertis verbis docuit: ⁸ Et hoc esse à Deo gratiam faciente, penitentium, & novorum bonorum initia reddente. Sexcentæ in SS. Patribus antilogiæ occurrerent,

fi omnia non deberent ex præcipuo ipsorum dogmate explicari. Ajunt Salutem nostram esse in manu nostrâ, dicunt etiam esse in manu Dei. Utrumque verum est si sanò sensu accipitur. Reperies in Hilario Deum, ⁹ in mercedem legis optimè & inculpabiliter custoditæ donum gratiæ per fidem credentibus primis, & novissimis largiri. (*) ¹⁰ ita legendum. At in illâ ipsâ pagina gratiæ gratiæ eloquium textitur. Denique salvantur omnia insigni ejus documento: ¹¹ sensus, non sermo fit crimen. Qui dicebat & principium, & ipsum incipere esse à nobis, non volebat certè excludere naturalem Dei ad omnes actiones concursum; sinè quo nemo sanus unquam dixit quidquam posse causas secundas; & tamen nulla hujus fiebat mentio, quia intelligebatur ab omnibus. Idem dic de principio supernaturali operis boni, quod hæc in re æquivaleret naturalibus; quodque referebatur inter res per se notas; idque eò magis, quod impugnatum ante ea tempora fuerat arbitrium; non item gratia. Eodem ferè modò in altero Hilario legimus: ¹² Virtutem Dei esse, quæ invitat ad fidem. ¹³ Fidem donum esse misericordiæ Dei. ¹⁴ Quia homo semen est Abraham, infirmum esse ad præcepta servanda, nisi Divinis auxiliis muniatur; esseque ita fragilem, ut nè suâ quidem uti possit potestate ad Divinæ legi obediendum, ideoque oportere ad Divinam recurrere misericordiam.

6. Quid porro dicemus de S. Ambrosio? vidimus sententias ejus libro 5. ¹⁵ Quidquid autem sanctum cogitaveris, hoc Dei munus est. Omne bonum referendum esse ad authorem gratiæ. ¹⁶ Neminem quicquam incipere sine Deo. ¹⁷ Vocare illum, quos dignatur, & quem vult, religiosum facere. ¹⁸ Quod Deus honoretur à Sanctis, Dei gratiam esse. Ubi est gratia, non habere locum merita operum. Non flevisse Petrum, nisi, postquam eum Jesus respexit. Dare Deum alimentum laboranti; cum verò vocet, postquam sanavit, omnia ¹⁹ tribuenda esse Deo, qui vocavit. In Commentario in Maiam, qui intercidit, dedit doctrinam bis ab Augustino relaram, quod ²⁰ orare Deum gratia Spiritualis sit. Nemo enim dicit, Domine Jesu! nisi in Spiritu Sancto, ut scriptum est. Non prætermittamus D. Hieronymum; prædicantem in Scriptis suis: ²¹ Vile, & nolle nostrum est; ipsamque, quod nostrum est, sine Dei misericordiâ

Conferuntur cum superioribus alia quædam loca ex istidem PP.

(1) In Mal. c. 1. (2) ep. ad Hebr. (3) S. Cypr. Test. ad Quir. l. 3. c. 4. (4) ep. 1. (5) ep. 77. (6) S. Hil. in Ps. CXVIII. l. 6. (7) in Ps. CXIII. n. 2. (8) in Ps. CXXV. n. 8. (9) in Matth. c. 20. n. 7. (10) de Trin. l. 2. n. 3. (11) Hil. in Rom. c. 2. n. 16. (12) ad IV. n. 15. (13) ad VII. n. 14. (14) S. Ambr. de Cain. c. 7. (15) ap. Aug. de gr. Chr. l. 1. n. 48. (16) in Luc. l. 7. (17) in Luc. l. 1. l. 10. l. 46. l. 6. c. 9. (18) de Abr. l. 2. c. 10. (19) Aug. ad Bonif. l. 4. n. 30. (20) S. Hier. in Hierem. c. 9.

nostrum non est.¹ Sed ipsum meum, sine Dei semper auxilio non est meum.² Nihil boni operis agere potest homo absque Deo... Hinc in servis suis ipse Dominus operatur opus suum. Ita ut Sancti quoque, excelsaeque eorum virtutes Dei semper misericordia procreentur.

Ex ipso
etiam Au-
gustino ex-
empla pro-
feruntur.

VIII. Manifestum autem omnino est, Scriptores, qui hujusmodi documenta suis inspergebant operibus, non posse in Pelagianismi, aut Semipelagianismi suspicionem venire. Planumque est, ex dictis his colligi genuinum sensum aliorum in qua prius digitum intendimus, quaque seorsim sumpta ancipitem generare sensum possent. Quis igitur non perspicit nihil prorsus in Patrum anteriorum dogmate immutasse Augustinum? & perperam fuisse intellectas Græcorum ac præcipuè Chrysostomi doctrinas; ob segregatas, neque cum aliis ejusdem Authoris effatis collatas sententias. Adjungemus rei hujus confirmationem, eamque irrefragabilem. Ipse non rarè S. Augustinus eodem modò locutus est, atque eadem, quam in Græcis, aliisque antiquis observavimus, phrasi usus fuit; idque non in primis duntaxat operibus, cum hac in materia nondum erat plenè collustratus: sed & in posterioribus, posteaquam cum novis hæreticis disceptando congressus fuerat. Quemadmodum igitur nemo idcirco ipsum cum Semipelagianis sensisse, vel conspirasse suspicabitur; ita nec de aliis id conjectare fas est.

ADVERTAMUS igitur, millies ipsum in libris suis innuere, nostrum esse converti, mutari, erigere mentem ad Deum, etiam præparare nos, vel præparare cor, quæ tamen vox videtur definitiva in hac materiâ, prioritatemque indicare. Quare docuit: ³ Cor præparare, hoc est bonum inchoare. Scripsit itaque: ⁴ Para locum in corde tuo, ubi sedeat. ⁵ Noli parare fauces; sed cor. ⁶ Bonorum patientia præparatione cordis excipit voluntatem Dei. ⁷ Paremus jussu ejus oves nostras. Ad aliquem locum Ambrosii explicat: ⁸ his verbis B. Ambrosium voluisse admonere, quid debeant homines præparare, qui volunt Deum videre, hoc est esse mundo corde. Hæc dicta etiam Semipelagiana erunt, si in iis illam non intelligis gratiam, à qua ipsi præparamus, quamque tot aliis in locis celebrat Augustinus, & dilaudat. Idem dic de aliâ Sententiâ: ⁹ Quia ut Deus velit dare, debes & tu ad accipiendum accommodare voluntatem. Quomodo vis accipere gratiam

Divinæ bonitatis, qui finem non aperis voluntatis? Idem etiam dic de doctrinâ, quam in illum locum Pauli: *cujus vult miseretur, & quem vult, indurat*, adfert in quaestionibus: *Præcedit ergo aliquid in peccatoribus, quo quamvis nondum sint justificati, digni efficiantur justificatione.*¹⁰

2. CENTIES habet in libris suis, posse verè hominem & bene agere, & malè. Cur igitur id aliis verteremus vitio? In retractationibus multa recitat ex lib. de libero arbitrio, quibus statuitur, pendere illud ex voluntate. Legitur ibi v. g.¹¹ *In voluntate nostrâ esse constitutum, ut hoc vel fruamur, vel caveamus tanto, & tam vero bono, vitam agendi honestam, & sanctam. Et: quisquis rectè, honesteque vult vivere... assequi tantam rem tantâ facilitate, ut nihil aliud ei, quam ipsum velle, sit habere, quod voluit.* Jactitant nonnulli has ab ipso propositiones fuisse retractatas; dum contra in retractationibus illas confirmat, ac raras habet. Rectè ibidem advertit frustra gloriari Pelagianos,¹² quasi, quia in his, atque hujusmodi locis gratia Dei, de qua tunc non agebatur, commemorata non est, eorum causam egerit; crederetque posse nos hæc omnia sine ipsâ. Ostendit opus non esse id omni locò commemorare; quòd in aliis suis opusculis de eâ satis egerit, quibus ex instituto de ipsâ disseruerat; immo, declarasse se in secundo libro non solum magna, sed etiam minima bona non esse posse, nisi ab illo. En eandem apologiam, quam nos pro Patribus antiquis adferimus. Non oportet igitur ad damnandos antiquos adeò proclivem esse, ac promptum. Eodem modò, cum scripsit, Deum non exercere misericordiam;¹³ nisi voluntas præcesserit, ostendit dictum hoc carere reprehensione, quia intelligebat poenitentiam quæ præcedat remissionem. Scripsit: ¹⁴ Nostrum est credere, & velle: illias autem dare credentibus, & volentibus facultatem bene operandi per Spiritum Sanctum. Exponit in retractationibus verum esse quidem; sed eandem adhibendam esse regulam; & utrumque ipsius esse, quia ipse præparat voluntatem; & utrumque nostrum esse, quia non fit, nisi volentibus nobis.

3. EXIMUS itaque Pater noster & conscientiae & doctrinae suæ securus non dubitavit ad aliorum se phrasin accommodare, extollere illos tanquam sanæ doctrinae magistros, & Episcopum Catholicum, Sanctum, & venerabilis memoriae vocare Optatum Milevitanum, auctoritatem ejus sæpe etiam adducendo, licet docuerat:¹⁵

(1) Ep. ad Ctesiph. (2) ep. ad Cypr. in Hierem. in ep. ad Eph. (3) ad Bonif. l. 2. n. 19. (4) in Ps. XCII. n. 6. (5) Serm. 12. n. 5. (6) in Ps. LVI. n. 15. (7) Serm. 108. n. 7. (8) ep. 148. n. 12. (9) Serm. 165. n. 2. (10) de quaest. 83. q. 68. n. 4. (11) de lib. arb. l. 1. c. 12. 13. (12) Retract. l. 1. n. 3. c. 9. (13) l. 1. c. 26. (14) l. 1. c. 23. (15) con. epist. Parm. l. 1. c. 3. Optat. Mil. l. 2. n. 20.

nostrum esse velle; nostrum esse currere: *Dei perficere*. Non verebatur idem dicere: ¹ *Nec plus aliquid ad perficiendam iustitiam, quam perfectam voluntatem requiri; nec docere: ² fidem in potestate esse, quoniam cum vult, quisque credit ... & per liberum arbitrium iustitiae nasci dilectionem*. Ità in psalmos: ³ *sicire tibi possum me, irrigare non possum; quasi verò à se posset hanc sitim excitare*. In Genesin: ⁴ *Cum paulatim ab huius oblivionis torpore anima resipiscens posset converti ad Deum suum, ejusque misericordiam, & veritatem, primò ipsa pietate conversionis, deinde servandi praecepti perseverantia promereri; quasi seipsa posset converti, & perseverare; & quasi suum foret omne meritum*. In libro saepius ab ipso confirmato legitur: ⁵ *incipit autem homo percipere gratiam, ex quo incipit Deo credere*. ⁶ *Certe enim ipsum velle in potestate est, quoniam adjacet nobis; sed quod perficere bonum non est in nostrà potestate, ad meritum pertinet originalis peccati*. ⁷ *Nam & illud quis sine difficultate vult; quamvis non tum facile faciat, quam facile vult*. ⁸ *Quid facilius, quam velle bonum?* Habet in Tractatu quodam coram populo de facto illo Esavi, & Jacobi, recitato: ⁹ *elegisse Christum quosdam qui pertinebant ad filium minorem: quia spiritualiter ceperant desiderare; & intelligere promissa Domini*. Legitur in quâdam epistola: ¹⁰ *Deum jubere ideo, ut facere jussa conati*. *adjutorium gratiae postulare noverimus*. Ita legimus in Sermone: ¹¹ *Voluntati nostrae conanti adjutorium subministrari*. Et alibi: ¹² *Dare Deum: sed non dare, nisi petenti*. Certum est, quod cum facit praeventi gratiam à conatu nostro, ab intelligentiâ, ab imploratione auxilii, intelligat illis in locis Augustinus

ulteriorem, magis manifestam, magis operativam. Vide sis autem, quod ipsius propositiones nihil admodum à Graecorum, aliorumque anteriorum dictis discrepent, possintque pariter hae in malam partem accipi, & primam aequè gratiam in Semipelagianorum ore excluderent!

4. At quorsum ista? Nonne ipsae SS. literae hunc saepe in modum loquuntur? Vidimus id tribus prioribus libris. ¹³ *Velle adjacet mihi, perficere autem non invenio*. ¹⁴ *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*. ¹⁵ *Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis*. ¹⁶ *Deus superbis resistit: humilibus autem dat gratiam*. ¹⁷ *Qui diligit me, diligitur à Patre meo; & ego diligam eum, & manifestabo ei me ipsum*. ¹⁸ *Surge, qui dormis, & surge à mortuis, & illuminabit te Christus*. Ubi tò excitari, & surgere videri posset lumen quod à Deo venit praecedere. Ita & in Vet. Testamento: ¹⁹ *Haec dicit Dominus: si converteris, convertam te*. ²⁰ *Oratio mea praeveniet te*. ²¹ *Propterea expectat Dominus, ut misereatur vestri*. ²² *Convertimini ad me; & ego convertar ad vos*. ²³ *Misericordia tua subsequetur me*. ²⁴ *Si quesieris eum, invenies*. ²⁵ *Præparate corda vestra Domino*. ²⁶ *Homini est præparare animam*. ²⁷ *dignos se ipsa circuit querens*.

Exigitur, quàm iniquè accusentur Patres graeci, quod similes adhibuerint sententias! En quàm erronea sit eorum opinio, qui discrepare in rei summâ atque inter se, existimant doctrinam & sensa Augustini, & antiquorum Patrum dogmata. En denique, quàm vana ob falsam hanc opinionem futura esset suspicio, ne summâ à nobis fide, omnique candore duobus superioribus libris sancti hujus Doctoris systema sit repraesentatum.

(1) Ep. 127. n. 5. (2) de Spir. & lit. n. 52. & 55. (3) in Pf. CXLII. n. 4. (4) de Gen. ad lit. l. 10. n. 28. (5) ad Simpl. l. 1. quaest. 2. n. 2. (6) n. 11. (7) n. 12. (8) l. 1. quaest. 1. n. 12. (9) Serm. 4. n. 17. (10) ep. 57. n. 9. (11) Serm. 155. n. 4. (12) in Pf. CII. n. 10. (13) Rom. VII. 18. (14) VIII. 28. (15) Jac. III. 8. (16) IV. 6. (17) Jo. XIV. 21. (18) Eph. V. 14. (19) Jer. XV. 19. (20) Pf. LXXXVII. 14. (21) II. XXX. 18. (22) Zach. I. 3. (23) Pf. XXII. 8. (24) Paral. XXVIII. 9. (25) Reg. I. 7. 3. (26) Prov. XVI. 1. (27) Sap. VII. 17.

FINIS LIBRI UNDECIMI